

1928 K 944
475
4710

OBSERVATIONVM
DE POENIS ILLARVMQVE FINIBVS EX PLACITIS
IVRIS NATVRAE RECTE AESTIMANDIS
SPECIMEN V.

Q V O D
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
CAROLO FRIDERICO TRILLERO

PHIL. ET IVR. DOCTORE ET POETA CAES. LAVREATO
DIE VI. AVGVSTI A. R. S. MDCCXCIV

H. L. Q. C.

E NVMERO EORVM

QUI SVB EIUS AVSPICIIHS SCRIBENDO ET DISSERENDO
SE EXERCENT

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
CAROLVS GOTTFREDVS RAVSSENDORFF

EVDISSA - LVSATVS.

VITEMBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRYL

1794

GRSLLVATIOMA

DE PONIS LIVRARUMAE LIBRIBVS EX MVLTIIS

LVRIS NATARIBVS REALE VERSINMULNIS

PARADISO

EX TO.

ELLSVTE ICLERVM OLVINIS VACLOVITATE

BY A S T R A

CAROLO PFRDERRICO TRIFFFERO

PROLOGUS IN PFRDERRICO TRIFFFERO

LIB. I. DE PFRDERRICO TRIFFFERO

W A X

GRSLLVATIOMA VACLOVITATE VACLOVITATE

SE ELLSVTE

GRSLLVATIOMA VACLOVITATE VACLOVITATE

CAROLAS GOTTLERDAS RAVSBLVDENTI

PROLOGUS IN CAROLAS GOTTLERDAS RAVSBLVDENTI

GRSLLVATIOMA

GRSLLVATIOMA VACLOVITATE VACLOVITATE

§. 19.

Delicta sunt animi morbi, et cur ita vocentur.

Animus et corpus sunt, vti notum est, praecipuae partes, ex quibus omnis hominis natura censetur, et quae eiusdem qualitatem moralem et physicam constituant. Hoc respectu ipsi CTI romani homines in sanos et aegrotos distingunt tam ratione corporis, quam ratione mentis, ipsique morbi in morales et physicos dividuntur, vti sanitas alia moralis, alia physica, recte dicitur. Sed, vt haec omnia clarius innoteant, accuratas de sanitate et morbo concipiamus, necesse est, notiones. Sanitas a CICERONE^{a)} dicitur corporis temperatio, cum ea congruant inter se e quibus constamus; eandem clarius HORATIVS^{b)} ab effectu actionum physicarum describit, ita praecepit:

*Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius;*

vt ita contraria ex parte morbus in genere sit conditionis humanae contra ordinem naturae constitutio. VLPIANVS in L. i. §. 7. π. de aed. editio, morbum dicit habitum cuiusque corporis contra naturam, qui usum eius ad id facit deteriorem, cuius causa natura nobis eius corporis sanitatem dedit; quem MODESTINVS in L. 101. §. 2. de V.S. temporalem corporis imbecillitatem vocat. Omnis morbus statim, contra ordinem naturae existentem, praefrustruit, in quem animus et corpus redigitur, si actiones

A 2

mora-

a) In Tusc. quaest. Lib. 4. cap. 13.

b) Lib. I. epist. 12 v. 5. quae ipsius THEOGNIDIS v. 722, verba esse videntur: γαστρι τε καὶ πλευραῖς καὶ ποσὶ ἀβραὶ παθεῖν.

morales et physicae ita laeduntur, ut eo ordine, quo ex dispositione naturae sunt constitutae, non eveniant. Hinc PLATO^{c)} dicit, animum et corpus valere, cum bene se habeant, imprimis vero animum aegrotare, si actiones moderamine sanae rationis, ab ipsa natura praescripto, non diriguntur. CICERO^{d)} hos animi morbos perniciöres esse assertit, quam corporis, quia animum sollicitant, et animus aeger, teste ENNIO, *semper errat, neque pati, neque perpeti potest cupere nunquam definit.* Veteres tamen Philosophi^{e)} animi morbos latius interpretantur, et sub eis omnes animi perturbationes comprehendunt, quam ob causam, animi affectionem, *lumen mentis coram amentiam vocarunt, eos.* que sanos dixerunt, quorum mens motu, quasi nullo morbo, perturbata est. Sed recte monuit CICERO,^{f)} has denominationes minus vñitate fieri, quia affectiones quidem morborum animi causae esse possunt, ipsae tamen morbi non sunt. Si animus, auspice sana ratione, principiis illarum obstat, præsens sanitas conferatur, sin vero, ab eis vincitur, tunc demum morbo affectus dici potest. Quod morborum originem attinet, ARISTOTELES^{g)} illam ex tripli fonte deducit, ut vel sponte, ex imbecillitate physica oriuntur, vel casu obueniant, vel denique ex culpa et vitio hominis causam habeant, quo respectu delicta animi morbi, et a Graecis *νοσοὶ ναῦ κακοὶ της Ψυχῆς,*^{h)} vocari possunt. Cum enim delicta ex neglegitu sanae rationis dijudicari debeant, sequitur, omne scelus animi morbum constringi, sed non omnem animi morbum, esse delictum, ut exemplum in furiolos, et omnibus occurrit, qui sine culpa in eum statum redacti, ut intellectus lumine vti impeditantur, qui magis lugendi, quam accusandi sunt.ⁱ⁾ Qui igitur integer vitae, scelerisque purus vivit, actionibus bonis sanitatem animi conseruat; si vero meliora scit, probatque, et tamen deteriora sequitur, morbo laborat, quem actiones malae, præstantiae humanae haud conuenientes, producunt,

vt

^{c)} In Gorg. pag. 317.^{d)} In *Tusc.* quæst. Lib. 3. c. 3.^{e)} Ita SENECA Lib. I. epist. 16. *iram, animi delictum,* dicit.^{f)} Loc. cit. cap. 5.^{g)} De mor. ad Nicom. Lib. 3. cap. 7.^{h)} SIMPLICIVS ad EPICT. enchirid. cap. 38. pag. 247.ⁱ⁾ Ita PLATO in *Timaeo* pag. 1084. morborum animi duo genera esse statuit, *inianam et imperitiam πάνιαν καὶ ἀπαθίαν.*

vt sibi ipse illud. *sum egomet mihi funeris auctor, acclamet.* Haec enim est naturae humanae conditio, vt omnes actiones, vti soni in re musica, concordes inter se conspicient, quo argumento, a similitudine desumpto, vtitur MAX. TYRIVS,¹⁾ si praecepit, naturam in omnibus certum ordinem seruare, vnde ita concludit: *ἴαν δε τι τοιτῶν ἐξελγεῖς, διέκοψες την Φύσιν, ὡσπερ ἐν ἀρμονίᾳ Φθοργών,* si quid ex his tollas, naturam mutilas, vti in harmonia vocum accidit, quam ob rem ipsam naturam perfectissimam harmoniam, *τελεσθετά την ἀρμονίαν,* appellat. Sed mutilare naturam nihil aliud est, quam actum naturali dispositioni contrarium admittere, quo homo a naturali conditione deicitur, de quo causa loquitur PLUTARCHVS, esse *ρεσηματα της ψυχης τα κατα φυσιν ἐξισαντα τον ἀνθρωπον.*

§. 20.

Poena, delictorum dicitur medicina.

Omni morbo medicina quadam, vt prior sanitas restituatur, subueniendum est. Cum vero delicia ad morbos referantur, et humanae intersit societatis, vt sana atque integra praefetur, curatione opus est, quae in poenis infligendis consistit. *Omne enim poenae genus, vti SENECAL¹⁾ monet, remedii loco admouetur,* ideoque ipsa poena a PLUTARCHO *ἰατρεῖα της ψυχῆς,* ab HEROCLE *ἰατρεῖη πονγίας* appellatur, quia omnis castigatio peccantis animas est quaedam medicina, et improbo conductus poenas dare, quemadmodum aegro prodest corpus curandum tradere medico.²⁾ Remedia enim alia sunt physica, alia moralia, quae legibus continentur, hinc PLATO³⁾ concludit, vti *οὐς γυμναστικὰ* sanitatem corporis, ita *legalis,* animi restitueret. Ipse tamen loc. cit. pag. 326. mentem clarius exponit, pessimum esse poenas non dare, et addit sat grauem rationem, quia quasi medicamentis, ab omnium maximo iniustiae morbo, animus liberatur per medicinam iudiciarum. Sed quis forsitan opponet, hunc medendi modum solam spectare poenas, quae dicuntur, emendatrices, non ad eas applicari posse, in quibus,

A 3

finis

1) Diff. 27. p. 272.

2) de ira Lib. I. cap. 16.

3) Vid. ALCINOV^S de doctrina Platonis cap. 32.

3) In Gorg. pag. 317.

finis reum emendandi, esset frustraneus. Sed cum duplex sit medicinæ finis, alter amissam sanitatem restituendi, alter praesentem conseruandi, vterque pariter in remedio poenae attendi debet, si delinquens poena afficitur, ut alii a simili delicto deterreantur. Quod vero Veteres poenam medicinæ aequiparunt, hoc non sine ratione sufficienti statuerunt, quia exinde melius et necessitas, et punieandi ratio determinari potest. Diversa morborum genera, vti varia desiderant remedia, ita etiam, cum in tot animis varia vita videas, pro cuiusque morbo, ex præcepto sene^{te},⁸⁾ apta quaeratur medicina. Nam ratio medendi esse debet morbo accommodata, atque aeger et flagrans animus haud levioribus remediis reslingendus est, quam libidinibus ardescit.⁹⁾ Hunc in finem recte ARISTOTELES¹⁰⁾ docet, ita inquiens: αἱ πολαρτεῖς ἀπτέραι τινεῖσθαι. Ai de ἀπτέραις διε των ἐναντίων πεφυκασι γνεδαι, poenas esse curationes, quae interdum per remedia violentiora et sibi contraria fiunt.

§. 21.

Quatenus delicta integræ societati laesionem inferant.

Omnes homines coniunctim considerati, corpus quoddam, quod vulgo morale seu mysticum dicitur, constituant, quod societatis atque vnum consanguinitatis arcissimum vinculum adstrinxit, quod M. ANTONINVS συγγενεαν ἀνθρώπων πέρος πάν το ἀνθρώπειν γένος appellat. Eodem modo accurate concludit LACTANTIUS,¹¹⁾ si ab uno, inquit, Deo inspirati, et animati, quid aliud, quam fratres, sumus, quia teste LVCRETIO¹²⁾

— — coelesti sumus omnes semine oriundi,
Omnibus ille idem pater est.

Sed vti ea est corporis hominis physici conditio, vt ex variis membris constet, quae sibi inuicem opitulari debent, vt quodlibet illorum officio suo recte fungatur, ita haec pariter ad societatem, quac *moralis corpus* dici-

⁸⁾ Loc. cit. ⁹⁾ vid. TACITVS Ann. Lib. 3. cap. 54. ^{p)} ad Nicom.

Lib. 2. cap. 2. ^{q)} Instit. diuin. Lib. VI. c. 10. ^{r)} de rer. nat. Lib. II. V. 990.

dicitur, applicari possunt. Homines enim sunt membra corporis illius magni, cuius integritas aestimatur ex singulorum actionibus, communis securitatis consentaneis, totiusque sanitas interrupitur, si membrum alteri damnum infert. Quia de causa **SENECA**^{s)} sibi eam mouet quaestione: quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculi? cui hanc addit rationem: ut omnia membra inter se consentiant, quia singula seruari totius interest; nam ad coetum geniti sumus. **CICERO**^{t)} haec ab effectu ita explicat, ut si uniusquodque membrum, inquit, ut posse putaret se valere, si proximi membra valetudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset. Rationem, cur homo alteri iniuriam inferre prohibetur,^{u)} **FLORENTINVS** in L. 3. π. de I. et I. hanc constituit: cum inter nos natura cognationem quandam constituit, consequens est, hominem homini insidiari, nefas esse, et quidem ex ea, quam **PAPINIANVS** in L. 7. π. de seru. export. suppeditat, causa, cum beneficio potius adfici hominem interficit hominis, nam canente **OVIDIO:**^{v)}

*Conueniens homini, hominem seruare voluptas,
Et melius nulla quaeritur arte fauor.*

Atque haec iuris naturae praecepta etiam in statu ciuitatis a singulis farta ac tecta sunt conseruanda, vt eum in modum ita concludit **SENECA:**^{w)} vti nefas est nocere patriae, ergo cuius quoque, qui pars patriae, ergo homo homini, nam hic in maiore tibi vrbe ciuius est. Sub maiore vero vrbe intelligit ipsum terrarum orbem, q: magna a Veteribus patria vocatur. Ex his facile reddi potest ratio, cur delicta singulorum, non eum solum, in quem communis, iniuria afficiant, sed etiam se referant ad integrām societatem, in qua singuli arcto foedere inuicem sunt vniiti, ita, vt laestiones singulis illatae, integro vnioto corpori sint nociae. Laedens enim per factum illicitum communis felicitatis amplificandae finem interuerit, laesus per illatam iniuriam impeditur,

quo

s) *de ira* Lib. II. cap. 31. vid. et epist. 95. *natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, et in eadem gigneret.* t) *de offic.* Lib. III. cap. 5 et 6.

u) Eadem placita habet **PLATO** Lib. II. de republica p. 592. μητ' ἀδικεῖν, μητ' ἀδικεθεῖν. v) Ex Pont. Lib. II. ep. 9. v. 59. w) *de ira* Lib. 2. c. 31.

quo minus in hunc finem actiones dirigere possit, et denique cæteræ
rum securitas ob metuenda similia mala turbatur atque iniusto modo
violatur.

§. 22.

Finis poenarum princeps est securitas generis humani.

Praeceptum illud, *neminem laede*, et quod hoc continetur, *suam cuique tribue*, est lex animis hominum inscripta, ex cuius violatione obligatio ad poenam est deriuanda. Sunt igitur poenae merito fulera humanae salutis, cum summa felicitas eo tendat, ut omnes ac singuli contra metuenda pericula sint tuti, et pace communi, quae recte a MONTES-
QVISIO^{x)} lex prima et principalis naturae dicitur, fruantur. Ita teste
LVCRETIO,^{y)} contraria ex parte

*Non facile est, placidam et pacatum degere vitam,
Qui violat factis communia foedera patis,*

quoniam potius tranquillitas ac securitas, quae vti omnis iuris, ita et poenarum, est finis principalis, iniusto modo laeditur. Omnis poenae effectus esse debet, vt ad exemplum (*παραδείγματα*) infligatur, vt alii idem delictum committere caueant. Inde a PUFFENDORFIO^{z)} non dissensimus, si poenarum finem in genere ponit in *præcautione laesorum*, si enim laesiones praecaudentur, secura redditur societas humana. In eotamen ipsis^{a)} assentiri non possumus, si securitatem et utilitatem quorundam libet pro tertio fine habet, quem primo loco ponere debuisset. Et ratione huius finis omnis poena exemplaris esse debet, sine delinquens emendetur sive tollatur. Doctores quidem poenas exemplares solum ad capitales, et eas, quae publico in conspectu fieri solent, restringunt, sed inde concludi nequit, eas solum esse exemplares, certamque poenarum speciem constitvere. Fatendum quidem est, animaduersiones, quo notiores sunt, plus ad exemplum emendationemque profondere, inde etiam SENECA^{b)} exclamat: *feriatur in foro reus, omnes videant.* Quam ob

^{x)} L'Esprit des Loix. Liv. 16. ch. 2. La paix seroit première Loi naturelle.

^{y)} Lib. 5. v. 1153. ^{z)} In Iur. Nat. et Gent. Lib. 8. c. 3. §. 9. ^{a)} loc. cit. §. 12. ^{b)} Controvers. Lib. IV. c. 25.

ob rem QVINTILIANVS,^{c)} quoties noxijs cruci figimus, inquit, celeberrimae eliguntur viæ, vbi plurimi intueri, plurimi commoueri hoc metu possint, et rationem addit: omnis poena non tam ad delictum, quam ad exemplum pertinet. Eadem ratio videtur suisse poenarum, quæ apud Veteres erant visitatae, et in mutilatione membrorum corporis consistebant. Ita Caesar rebellibus manus praecidit, quo testatior esset poena inproborum, et Auidius Cassius defortoribus crura et poplite incidit, quia maius exemplum esset viuentis miserabiliter criminosi, quam occisi. Attamen et reliquæ poenæ, quæ minori apparatu et cruciatu infliguntur, exempli cauila sunt, ita, ut semper aliis in notitiam venire possiat. Ad hunc finem generalem respexit VEPIANVS in L. 6. §. 1. π. de poen. qui ideo oīnum poenam exigendam esse sancit, ut exemplo deterriti minus delinquant, et §. 2. tit. L. diuersa genera poenarum, quæ aut vitam admant, aut exilium, aut coercitionem corporis contineant, recenset. Eodem modo disponit TRYPHONINVS in L. 3t. pr. π. Depoſ. ut male meritus publice exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, cuius bona in publicum deferenda, ut egestate laborare cogatur. Repetuntur haec in L. 7. C. ad L. Fabiam et L. 1. C. ad L. repetund. ut unius poena metus possit esse multorum. Hinc laetus quidem satisfactioni suae, non vero publicae, reuocari potest, cum poena sonum futurum intendat. Non punitur tantum, quia peccatum est, sed potius, ne in posterum peccetur; reuocari praeterita non possunt, futura tantum praecaueuntur.^{d)} Quæ simili modo PLATO^{e)} exprimit, poenam irrogari μελλοντος Χρονιν, ινα μη αυθις αδικηση, μητ' αυτος ούτος, μητρε αλλος τουτων ιδων κολασσηται. Ex his satis demonstrari potest, solam laudentis territionem unicum finem esse non posse, quippe cum huic obstat opinio experientia quotidiana, delinquentes plerunque poenis non deterri, potius illam regulam, semel malus, semper talis, in eodem genere delicti,

c) Declam. 274, ita et RENAZZI in Elem. iur. crim. P. II, pag. 39. Nihil, ait, magis fini poenarum congruit, quam ut palam delinquentibus infligantur eosque apparatu, qui aptior sit ad vulgi animos excitandos et deterrendos. d) SENECA de clement. cap. 16. e) Protagor, p. 226.

delicti, interdum veram deprehendi. Sed ratione futurae securitatis stabilendae, ut omnes metu poenae arceantur, a simili delicto, unus idemque est finis, quo reliqui poenarum fines, qui *secundarii* dicuntur, continentur, ad quos a Graecis *νόστια*, emendatio delinquentis, *παρεδίδειγμα*, exemplum aliorum, et *ἀποπληγωσις*, quae a *GELLIΟΤΙΜΩΣΙΑ* dicitur, satisfactio laesi, refertur. Ante vero, quam de singulis mentem nostram explicemus, liceat nobis diuersas Veterum et Recentiorum Philosophorum recensere opiniones, qui hac de re non unam eandemque foverunt sententiam. Non alium tamen finem summum, quam tranquillitatem et quietem reipublicae esse posse, omnes fere, qui de poenis philosophantur, uno ore fatentur, atque eum etiam pro necessitate poenarum infligendarum agnoscere debent, nam modo in specialibus finibus statuendis diuersa vtuntur philosophandi ratione.

§. 23.

Diuersae Virorum Doctorum, de finibus, qui minus principales dicuntur, exponuntur opiniones.

Cum finium specialium ea esse debeat conditio, ut se semper ad finem summum, securitatem et tranquillitatem totius societatis referant, inter omnes constat illos pro qualitate et gravitate delicti esse attendentos atque aessimandos, vt hic effectu suo salutari non destituantur. Et quatinus multum intersit, vt inuicem inter se secernantur, ac certo modo determinentur, illi tamen, qui de finibus poenarum sententiam suam exposuerunt, in diuersas partes abierunt, et partim diuersos flatuerunt, partim primarium secundariis immiscuerunt, partim denique pro specialibus finibus habuerunt, qui iam alio sub fine continentur, et non re, sed modo verbis, diuersi esse videntur. Ita *PLATONI* delinquentis emendationem aliorumque exemplum assunxit, vt rei ipsi et qui eum puniri viderunt, delictum oderint, quem et sequitur *HOBESIVS*,^{s)} vt laedens

f) In *Gorgia* p. 357. η βελτιου γνησεων παι ένικαθαη, η παραδειγμα τοις ἀλλοις. vid. et de legg. pag. 923.

g) de cine cap. 3. §. 11.

laedens corrigatur, vel alii exemplo moniti siant meliores. Sed, ut iam
 ḥpho praecedente monuitus, omnis poena fieri debet ad exemplum, ne
 in posterum simile delictum metuatur, alio enim modo securitas
 omnium, quae summus est finis, conseruari non potest. His, quos
 PLATO constituit, finibus, GELLIUS^{b)} ex mente Veterum Philoso-
 phorum, in primis TAVRI, satisfactionem laesi addidit, ipse tamen am-
 biguus haeret, an PLATO hanc poenae sumenda causam, quasi par-
 uam, et rei non necessariam, praetermisserit nec ne. Illam vero sub
 vitroque sine comprehendisse videtur, quia omnis poena vindicat iniu-
 riā, et tuerit auctoritatem eius, cuius intererat, ne delictum sit com-
 missum. Interim tamen etiam ARISTOTELES omnis poenae ratio-
 nem in eo ponit, ut laedens emendetur, laeso vero satisfiat τε ποιητος
 ἐνεργία ίνα αποπληρωθή; quam pariter PLUTARCHVS fententiam aliis
 verbis amplectitur, poenas non modo in posterum inhibere delinquendi
 audaciam, sed et iniuria affectos consolari το παρηγορεύ τε πεπονθτας
 ἐνεργίας. SENECAⁱ⁾ vero hos tres poenarum fines agnoscit, ita
 praecipiens: in vindicandis iniuriis haec tria lex fecuta est, quae Princeps quoque sequi debet, ut aut eum, quem puniūt, emendet, aut poenas
 eius ceteros meliores reddat, aut ut, sublati malis, securiores ceteri vivant.
 Sed ratione effectus triplex hic finis non obtinet, quia alter altero conti-
 netur, et principalis secundariis immiscetur. Nam cum omnis poena eo
 fine infligatur, ut communis securitas stabiliatur, ad eam semper respi-
 ciendum est, siue delinquens plane tollatur, siue emendetur, siue ceteri
 meliores reddantur, qui ultimus tamen finis iam sub eo, qui obtinenda
 communis fit securitas, comprehenditur. GROTIUS^{k)} omnis poenae
 rationem ponit in vilitate eius, qui peccavit, aut eius, cuius intererat,
 non peccatum esse, aut indistincte quorumlibet. Inter omnes vero co-
 piōse et praeter necessitatem profuse hac de re philosophatus est RYF-
 FENDORFIVS,^{j)} statuit enim tres poenarum fines generales, cuique
 generali speciales subiungit. Quorum primus est praeceatio laesorum,
 qui obtingeret, si delinquens vel in melius emendetur, vel coercetur ita,
 ut non possit deinceps delinquere, vel alii eius exemplo deterreantur.

B 2

Alte-

ⁱ⁾ In Noct. Attic. Lib. 6. cap. 14. ^{j)} de clem. Lib. 1. c. 22. Lib. 1. cap.
 vlt. de ira. ^{k)} Lib. 2. c. 20. §. 9. et 10. ^{l)} Lib. 8. c. 3. §. 11.

Alterum esse dicit *utilitatem* eius, cuius intererat, non esse peccatum, vt ne tale quid in posterum patiatur ab eodem, aut aliis, hunc vero finem iterunt effectum haberet, si reus vel tollatur, vel ipsi vires nocendi, salua vita, admantur, vel, si emendetur. Tertium denique collocat in *utilitate quorumlibet*, ne is ipse, qui vni noceat, deinceps aliis noceat. Sed non necesse est, vt moneam, quod paucis fieri potuit, per plura er superflua essi factum, quia iam ex fine primo ea sequuntur, quae ex secundo et tertio deducuntur, et vice versa secundus et tertius se rursus ad priorem refert. Sed praeter necessitatem copiosus viderer, si omnium hac de re vellem recensere sententias, modo ex recentioribus adhuc triumuiros, BECCARIAM, PÜTTMANNVM ET QVISTORPIVM, qui iuri criminali illustrando nouum quasi lumen accenderunt, in medium producam. Communi pariter suffragio securitatem et tranquillitatem publicam finem summum agnoscunt, cui tamen BECCARIA^{m)} addit, ut alii deterreantur, et ipsi delinquenti facultas, alias in posterum laeden- di, admatur. Quem et sequitur QVISTORPIVS,ⁿ⁾ addita distinctio- ne, vt in poenis non capitalibus reus emendetur, atque ex accidenti interdum respiciatur ad restitutionem danni laeso praefandam. Illustr. PÜTTMANNVS^{o)} denique ex illa CICERONIS^{p)} sententia, ipse delinquens, ne quid tale posthac committat, et caeteri fiant ad iniuriam tardioris, fines secundarios deducit. Nolo ea, quae iam supra monui, latius repetere, omnem poenam ideo principali ex parte esse infligen- dam, ut alii deterreantur, quae territio eos meliores reddere debet, de quibus idem delictum erat metuendum. Hoc modo addam, hunc com- munis securitatis finem effectus suos sortiri, siue delinquens emendetur, siue ipsi in posterum delinquendi occasio admatur, quod fieri potest, si vel priuerit ipsa vita, vel in eum statum redigatur, vt viuus aliis no- cere nequeat. Quatenus vero singuli hi fines in poenis infligendis sint assequendi, in sequentibus nos doctri sumus.

^{m)} de delictis et poen. §. 15. pag. 68. ⁿ⁾ in iur. crim. §. 71.

^{o)} in elem. iur. crim. §. 60. ^{p)} de offic. Lib. I. c. 11.

Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96

vol 18

f

ULB Halle
004 335 651

3



86.

W
E
1



1928 K 944

L 7/10

OBSERVATIONVM
DE POENIS ILLARVMQVE FINIBVS EX PLACITIS
IVRIS NATVRAE RECTE AESTIMANDIS
SPECIMEN V.

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
CAROLO FRIDERICO TRILLERO
PHIL. ET IVR. DOCTORE ET POETA CAES. LAVREATO
DIE VI. AVGUSTI A. R. S. MDCCXCIV
H. L. Q. C.
E NVMERO EORVM
QVI SVB EIVS AVSPICIS SCRIBENDO ET DISSERENDO
SE EXERCENT
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
CAROLVS GOTTFREDVS RAVSENDORFF
EVDISSA - LVSATVS.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL

1794